


3/98

IDIBVS AVGVSTIS

MCMXCVIII



RVMOR VARIVS



TOMVS 21

FASC. 124

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSIS, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann** publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	27.-
In ceteris Europae terris	sFr.	32.-
In terris trans maria sitis	US\$	30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard †
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS ,c/o aeschlimann publicity

Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg

INTERNET:

e-Mail: 113376.1317@compuserve.com

Homepage:

http://www.friends.bbb.ch/macdiga/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein

Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei **aeschlimann** publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	27.-
Europa	sFr.	32.-
Übersee	US\$	30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard †
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout: Christine Meier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS, c/o aeschlimann publicity

Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg

INTERNET:

e-Mail: 113376.1317@compuserve.com

Homepage:

http://www.friends.bbb.ch/macdiga/rumor_varius

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein

Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Die 16° mensis Maii anniversarium conventum nostrum habentes inter alia etiam imprimis socii nostri Emanuel Bernard meminimus, qui 87 annos natus die 4° mensis Maii animam efflavit et iit 'per iter tenebricosum illud, unde negant redire quemquam' (ut dicit Catullus poeta). Ab RUMORE VARIO condito fere Emanuel Bernard collegio redactorum interfuit. Primum scriptum eius in libello 7+8/79 RUMORIS VARII mense Iulio illius anni edito apparuit. Ex hoc tempore Emanuel Bernard per 16 annos RUMORI VARIO operam dabat: Correctoris munere functus omnia scripta legentium nobis missa perlegit, diligentissime perscrutatus est et, si necesse erat, emendavit, ut sine mendis divulgari possent.

Ipse quoque multa de rebus variis scripsit, sed imprimis et libentissime narravit de itineribus suis in regiones totius fere orbis terrarum et longinquas et finitimas, quae cum uxore fecit. Praeterea etiam de sua pueritia, quam Curiae (Chur) in pago Helvetico Raetio degebat, et de itinere, quod puer Curia Turicum fecerat ad amitam et imprimis sobrinam pulcherrimam visitandam, libenter narravit. Turicum urbem maxime amabat et non est mirum eum magnam partem vitae ad ripas lacus Turicensis in vico nomine 'Rüschlikon' degisse.

Collegae defuncti gratis animis memores sumus. Speramus eum apud inferos bene acceptum esse et in regno umbrarum locum pulcherrimum obtinere. In Emanuel(is) Bernard(i) memoriam et honorem nonnullas narrationes eius elegimus, quas in hoc libello RUMORIS VARII iterum divulgamus.


Etiam hoc anno libellum 5+6/98 uni argumento dedicare in animo habemus. Quod est:

'De arte musica'.

Non dubitamus, quin de hoc argumento plurima et varia componi possint, sive de musica 'classica' dicta, sive de musica iassica (Jazz) vel de aliis generibus, sive de musica populari omnium gentium orbis terrarum, sive de musica saltatoria, de ballatione scaenica, de dramatibus musicis,

de melodiis compositoribus, de cantoribus vel cantrixibus, de moderatoribus musicorum, de clavicinibus, de violonistis, de tubicinibus - exempla ad infinitum augeri possint!

Iterum petimus et rogamus, ut Musis adiuvantibus quam frequentissimi scripta componatis et nobis mittatis, cari legentes! Sic agentes efficietis, ut etiam hoc anno - iam quintum - incepto nostro bonus eventus fiat!

Valete!

Daniel Weissmann

In memoriam Emanuel Bernard (18.12.1911 - 4.5.1998)

De feriis cum catulo actis (RUMOR VARIUS 3+4/85)

Duobus mensibus ante dulcis mea coniunx catulum emerat pauperculum et mire deformem, naso obtuso, vultu rugarum pleno, cruribus distortis, at pectore largo et robusto animoque dulcissimo. Quem catulum quicumque conspexit, misericordia eius capitur vel risum tenere nequit. Ego contra stomachor et aegre fero, quod coniunx catulum istum emit, ut qui totum diem non minimam nobis afferat curam ac molestiam, cacans vel vomitans hic et illic, saepe etiam mussitans (knurren) insciis nobis, cur mussitet. Praeterea quocumque passus facimus, nos confestim sequitur, cum sola numquam possit esse, et cum aliquando vel parumper in conclave aliquod includitur, horrendum ingemescit tamquam humana voce uteretur, ita ut misereat nos neque iam eum includere audeamus.

Attamen unum me commodum putabam nactum esse sperans fore, ut coniunx catuli causa impediatur posthac, quominus feriarum tempore longinquas terras petat, ut adhuc fecerat. Sperabam eam denique coactum iri, ut domi maneret. At heu me miserum! Spe illa deiectus sum! Namque coniunx, quippe quae nulla re impediatur, quin longinquo loco ferias agat, nuper mihi laeto animo aperuit catulum sine ullo negotio nos, quocumque iter faceremus, comitari posse sive autocinetis sive aëroplano

usos neque ullum deversorium esse in terris, quod non admittat catulum tam suavem.

Cari legentes, ut intellegatis, quae dicam, opus est confitear me semper domi manere malle quam in longinquis terris ferias agere. Sed meae voluntati unum obstat. Etenim cum uxor iter facit (et saepe facit), ego eam comitari cogor, quia me solum domi manere non patitur. Itaque, ut adhuc, uxor mihi porro comitanda erit, quocumque iter factura est ad ferias agendas. Sed de hac re sapienti sat!

Nunc vobis narraturus sum de feriis proximis, quas mense Februario per quindecim dies in insulis Canariis egimus.

Die septimo mensis ad aëriportum Turicensem nos contulimus una cum catulo scilicet. Illic autem domnula functionaria, quae aëroviatores curat, me interrogavit: "Habesne schedulam testificantem bonam valetudinem catuli?" - "Non habeo", respondi.

"Non habes? Sed res cum ita sint, catulus ad terras Hispanicas non admittetur. Ergo catulus hic relinquendus est."

"Quid dicis? Catulum relinquendum esse? locari videris, domnula mi! Lepidissima profecto es. An re vera putas nos avolare posse catulo hic in aëriportu relicto?"

"Doleo", dixit, "sed ad aëroplanum admitti non potest."

Tum ego uxori meae: "Vola", inquam, "sola! Ego triduo post te sequar. Interim cum catulo veterinarium consulam, ut mihi schedulam illam comparet." Tristes, paene lacrimantes discessimus.

Medico consulto, schedula obtenta, capso etiam (capsus,-i: Käfig) comparato, quo catulus includendus esset, (namque canes per aëra vehi non licet) triduo post, ut dixeram, ad aëriportum una cum catulo me contuli, ubi paulo post capsus cum catulo translatus est in conclave sarcinis per aëra transvehendis (Gepäckraum). Tum ipse aëroplanum conscendi et avolavi, semper timens et anxius, ne catulus dulcis nimis doleret, ut a me desertus et infra me conclavi inclusus, ubi certo sine spe esset uxorem meam vel me ipsum umquam iterum videndi; namque animalia, ut puto, sensum non habent temporis nisi praesentis, ita ut sperare non possint. Itaque misericordia canis vexato mihi iter aëreum fuit iniucundissimum.

Sed tandem aliquando, quattuor horis post, ad insulam nomine 'Gran Canaria' advenimus. Uxor ibi in aëriportu nos exspectabat. Catulus autem simulatque capso liberatus uxorem meam conspexit, caudam laete movit et dolores animi inclusione captos re vera superavisse visus est. Quam beati tum fuimus, uxor, canis et ego!

Sequentibus diebus plerumque in litore versabamur, cum catulo scilicet, ambulantes. Litus illud planum et gratissime harenosum longitudine patet quinque chiliometra circiter et plenum erat viatorum, qui ad aquas maris venerant, praecipue Germanorum. Multitudo ingens, numero, ut aestimabam, ad quinque milia, per totum diem secundum litus ambulabat omnesque obviam venientes mirabantur nostri catuli deformitatem ut raro vel numquam visam, plurimi comiter subridentes, pauci foeditate eius indignati. Sed fuerunt etiam, neque tam pauci, qui subitaneo amore catuli moverentur laudantes eius suavitatem et paene discedere nequirent. Sed aliquando medio in litore et paulo post meridiem accidit, ut catulus inter multitudinem ambulantium cacaret, quem casum nos impedire nequivimus, cum alio loco cacandi facultas esset nulla. Pulchrum bene formatum cunum (Kegel) deposuerat. Tum vir Germanus aliquis obviam veniens cunum viso indignatus est et acerbus me porcum nominavit. "Porcus es", exclamavit, "qui canem tuum in litore cacare sinas!" Quod verbum acre me non intellegere simulavi, sicut vir ille Germanus putaret me sermonis Germanici esse ignarum et porro impias voces iactans discederet. Ego autem, mala conscientia vexatus, mihi ipsi dixi: "Ira illius viri comprehendi potest, sed quo modo impedire potuissem canem, ne cacaret? Non potui. Etenim canes cacant, ubicumque et quandocumque eis cacandi est necessitas. Praeterea cunus merdae (Scheisskegel) in amplo litore depositus tam gravis casus non est, ut dominus canis porcus debeat appellari. Cunus ille enim mox harena tegitur. Altera ex parte sane confiteor cunum merdae, quamvis harena tectum, ad talum proximi transeuntis, qui pedem illic ponat, iniucunde haesurum, imprimis hominis Germani, qui, ut statui, magno sit pondere corporis, ita ut, cum pedem ibi posuerit, sine dubio cunum ex harena exprimat atque affigat ad talum suum. Quod factum ex intimo corde doleo, sed doleo quoque me iniuste porcum esse nominatum.

Emanuel Bernard

De domnula quadam parumper mihi nota narrare liceat!

(RUMOR VARIUS 5+6/90)

Quo modo vir honestus debet se gerere, cum in aëroplano cum domnula pulchra, nobili sibi ignota iuxta sedente convenit? Quod mihi accidit in

aëroplano volante ab urbe Francofurto (Frankfurt) in Sotzium (Soci) oppidum, quod est ad litus orientale Ponti Euxini situm. Condicio mea erat difficilior, quod domnula illa mihi plane ignota tamen non videbatur, sed animo fingere non poteram, ubi eam vidissem. Alloqui domnulam eo minus poteram, quod continuo per fenestellam spectaret dorsum mihi praebens. Postea autem cum aëroplanum surgeret solum plane relinquens, tandem paulum se vertit meque animadvertens modeste salutem dixit. Tum resalutans eam interrogare ausus sum, nonne sibi videremur alter alterum prius aliquando, multo quidem ante, vidisse. Domnula autem, paulum puncta (betroffen) frigide respondit: "Minime, domine mi." Attamen me a latere spectare non desiit. Tum subito, vultum fingens, tamquam reminisceretur, dixit: "Cum diligentius te specto, mihi venit in mentem me vidisse te Deniae, in oppido illo Hispaniae, in litore ambulantem. Immo vero recordor iam tum in illo oppido suspicionem venisse te mihi alicunde non esse plane ignotum, sed ubi te prius viderim, ignoro." Laetabar, quod mei aliquo modo reminisceretur et, quod sperabam, colloquium nostrum de cottidianis rebus ortum, de Denia autem nihil ultra, continuavimus usque ad destinatum locum, oppidum Sotzium, sine ulla appropinquatione ulteriore, et in aëriportu Sotzii nos valere iussimus polite.

Ad cenam autem in deversorio, ad quod deversus eram, magnopere mirabar domnulam illam quoque adesse inter convivas. Erant in cenatione (Speisesaal) quattuor ordines longi mensarum, cuncti a convivis capti, et in quarto ordine domnulam conspexi sedentem. Illa me nondum animadverterat, sed ego surrexi ad mensam dapiferam (Buffet) iturus catillum (Teller) meum manu tenens, ut cibum mihi eligerem. Praeterea nimirum sedem domnulae, constitui, salutavi et fingens me esse miratum dixi: "Quam casum pulchrum!" Illa quoque resalutavit laeta et comiter. Tum ad mansam dapiferam id cibum haustum, et catillo meo expleto ad mensam meam regressus sum. Cenabam continuo domnulam cogitans, cum de improvviso ad mensam meam advenisset mihi que in aurum surraret: "Exspecta me ad portam posteriorem sub horam decimam!" Exspectavi diu, hora decima iam praeterierat. Cum autem iam desperarem illam fidem praestituram et adventuram esse, tandem audivi portam stridentem iamque domnula prope me stetit, vestimento festivo ornata, amice loquens: "Veni mecum ambulatum in horto! Multa habeo, quae tecum loquar." Laetissimus istis verbis eam secutus sum in vastum hortum, qui illo tempore erat paene desertus. Non ita multo post scam-

num (Bank) invenimus fruticibus occultum. Consedimus et colloquebamur amicissime neque tamen sine illo desiderio utriusque, quod incitare solet deus Amor. Paulatim audacior factus eam amplexus et osculatus sum. Cum autem ne minime se defenderet ab impetu meo, indecoro modo eam tangere ausus sum, donec moneret: "Non hic, sed veni in cubiculum meum!" Surreximus, petivimus eius cubiculum ibique totam noctem mansimus amoris ritu coniuncti. Albente caelo cum cubiculum iam satis illustratum esset, interrogavi: "Nunc tandem dic mihi, ubinam putes nos unum alterum aliquando vidisse, antequam Deniae et antequam in aëroplano conveniremus. Namque id est, quod te putare affirmasti." Tum illa: "Ignoro, ubi fuerit, at virum et feminam, si tam bene et tam intime quam nos coniunguntur, mihi persuasum est eos iam convenisse in vita anteriore, in vita scilicet, quae hanc vitam terrestrem praecessit." - "Mehercle, rem satis miram dicis", respondi, sed clam dixtum eius me terruit ita, ut Amor me statim desereret. Tamen addidi nonnullas blanditias dicens: "Spero nos conventuros sub vesperum in cenatione, vale, deliciae meae!" Tum cubiculum eius reliqui valde miratus, qualis homo essem, qui identidem in mulieres tam singulares tamque mysticas inciderem.

Emanuel Bernard

De secessu aestivo ad Pontum Euxinum peracto narratur

(RUMOR VARIUS 11+12/86)

Aestatem praeteritam una cum uxore septemque aliis itineris sociis ad Ponti Euxini litus peregi, quod est ad orientem solem versum, in terra illa, quae ad pedes Caucasi montis sita est, antiquissimis temporibus terra Colchorum vocata, quo secundum poetas Iason et ceteri Argonauti profecti sunt, ut vellus aureum peterent, quod praedonum more adiutrice Medea abstulerunt. Cuius terrae visendae iam dudum desiderium me tenuerat, neque tantum propter fabulosos Argonautas, sed etiam vel potius Ovidii memor, miserimi illius poetae Romani, qui ibi, quamquam ad litus contrarium, quod ad occidentem vergit, tristem vitam exul degenerat mortemque obierat. Cupiveram ipse cernere et experiri Scytharum illam saevam gentem, qui hostili more sagittas in auras et contra me mitterent.

Sed quam rem necopinatam! Terra illa nostrae aetatis funditus differt a terra, qualis antiquis temporibus fuisse narratur. Olim inhospitalis fuit, nostris diebus maxime hospitalis, praebens omnia, quae ad cultum pertinent, plena viatorum e tota Europa advenientium, ut decessu aestivo gaudeant. Tamen nimis confidere nolite rebus, quas narrabo! Namque donum spectandi, cernendi, vivendi mihi deest in modum terribilem. Aspectum, formam terrae vix vidi. Vidi quodam modo quidem arbores, plantas, omnino naturam novam, splendidam, exuberantem, at describere vobisque describendo ante oculos ponere nequeo. Doleo, quod ita est, sed est ita. Itaque narraturus sum plus minus fideliter, quid viderim, quamvis sint pauca, quidve sim expertus.

Incipiendum est a primo die: Turici in statione principali Russos rublos (Rubel) emimus nonaginta, pro quibus solvimus francos Helveticos quinquaginta. Deinde tramine vecti sumus Francofurtum (Frankfurt). Francofurtum aëroplano transvecti sumus Moscuam (Moskau). Cum autem notum nobis esset non licere rublos in Russiam clam importare, uxor rublos sub pectore abscondidit. Anxietas magis magisque occupabat, ne Moscuae in aëriportu telonarius rublos nostros deprehendat multetque nos et in Sibiriam nos expellat. Itaque uxori multis verbis persuasi, ut rublos Moscuae declaret aperte. Ita factum est et rublos telonario tradere coacti sumus. Quos rublos libenter amisi pro securitate nostri multandi iam causam non esse.

Ad deversorium sub vesperum advenimus. Copiose, sed mediocriter cenati (vinum oblatum non est) cubitum iimus. Multa nocte experrectus ad fenestram accessi curiosus, quid de ingenti et formidolosa metropoli Russorum videre possem. Procul aedificium giganteum caelum versus erectum vidi, quam postridie mane ad mensam deversorii universitatem Moscuae esse comperi. Sub meridiem continuavimus iter aërum ad Pontum Euxinum versum, ingentem Russorum terram, prope desertam, ut videbatur, supervolantes. De aëroplano octo milia metrorum supra terram volante, ut scitis, vix quicquam in terra cerni potest. Duabus horis post caeruleum quicquam nobis apparuit: Pontus Euxinus videlicet, neque multo post in aëriportum urbis Sotzii (Soci) adterravimus (ut novo pro re Romanis ignota utar vocabulo).

In oppido Sotzio, quod a non minus CL milibus hominum habitatum est, accepti sumus in deversorio nomine 'Kamelia', satis magno neque pessima qualitate. Cena iterum copiosa, sed satis mediocris, vinum nobis rogantibus datum non est. "Vae victis!" exclamavi, "vae eis, qui desiderio

Russiam videndi victi sunt!" Socii mensae mihi irridebant dicentes non esse calamitatem unum diem sine vino degi. Quibus sententiis ego acidodulciter (sauer-süss) arridebam. Neque ignorabam potus alcoholicos sperni ab illo tempore, quo dominus Gorbatschov rector Russorum factus sit. Ante horam quintam postmeridianam potus alcoholici obtineri nequeunt. Sed etiam post horam quintam vultus acidi respondent vinum petenti. Tergiversantur pueri cauponii (Kellner) variis verbis, dicentes vinum non adesse vel cellarium (Kellermeister) aegrotum esse et cetera. Tamen ex illa calamitate evadendi occasio dabatur, fuit locus, ubi vinum obtinebamus, fuit taberna popina (Bar), quam post horam quintam visitare et frequentare licebat, in supremo tabulato deversorii sita, sub tecto, ut ita dicam, neque dubitabitis, quin frequens vesperi post cenam illuc ascenderim. Sed illic in alto non solus eram, uxor mecum ceterique itineris socii una mecum vini obtinendi occasione utebantur. In illo alto podio (Balkon) sub love sereno sedere et vinum sorbere solebamus solem occidentem et mare vespertina luce fulgens spectantes. Infra nos iuxta litus neque a nobis procul tramina Russica satis magno strepitu praetervehebantur.

Diebus profestis (an Werktagen) programma diurnum hoc fuit:

Mane post ientaculum usque ad meridiem in scamnis (Schulbänke) sedentes lingua Russorum instituebamur. Quae lingua re vera difficultatibus abundat. Similiter atque sermo Latinus sex casibus utitur, similis est sermoni Britannico in usu formae progressivae, declinatio adiectivi sicut in nostro Theodisco sermone differt prout attributive vel praedicative usurpatur. Res, quam maxime mirabar, est haec: In enuntiatio (Satz) negativo subiectum usurpat casum genitivum, e.g. in locum dicendi "Paulus non adest" dicunt, Latine versum: "Pauli non adest" vel potius: "Pauli non hic."

Magistra nostra erat eximia formositate, sed ad artem docendi parum apta, continenter Russe loquens neque respondens ad interrogata nostra, ita ut prope nihil profecerimus. Post meridiem cottidie nos refecimus et recreavimus ad litus, sermocinantes et in mari natantes.

Cicero noster (Reiseführer), ut ita dicam, fuit virgo gratiosa, callida, nostra lingua promptissima. Saepe post meridiem nos invitabat ad aliquam excursionem, sive ad visendum aliquam rem visu dignam, sive ad epulas vespertinas, quibus delectabamur in taberna famosa, nomine "Pistrinum vetus" (Alte Mühle), quae sita est in intima valle quadam Caucasi, quo autoraeda vehebamur. Ibi excellenter cenavimus, multum vini optimi

dere minus facile est quam interrogare; nam homo in terra exstat iam plus quam duo milia annos, et omni tempore mundum inquinavit, sed quo plus temporis in terra est, eo plus mundum inquinat, et nostris temporibus, vicesimo saeculo, tantopere iam inquinavit mundum, ut interrogandum sit, nonne iam nimis mundum inquinaverit. Quin etiam pluviae et venti inquinati sunt, iamque putamus opus esse nos ad alias stellas errantes volare sperantes nos illic aërem minus inquinatum respirare posse.


Aliud problema aliaque mihi et nova quaestio est haec:

Estne homo omnium in terra et sub sole viventium atrocissimus inquinator terrae et mundi? Estne homo ille unum animal, quod in loco pedibus eundi autoraedis utitur et intra urbes et extra terram die et nocte aërem emissariis vaporum ex autoraedis exeuntium inquinat et nobis omnibus venenosa reddit? Quid significat 'mundus nos circumdans'? Nos homines ipsi sumus mundus nos circumdans et nos ipsi inquinamus mundum nos circumdantem. Non dissimulo me putare mundum nostrum sine hominibus multo puriorem esse. Ille, qui maxime inquinat terram mundumque nostrum, est certo nostris temporibus homo.

Nunc autem, cum homo pessimus inquinator mundi sit, quaestio mea nova et alia est atque supra, vel non iam quaero et interrogo, sed constituo mundum nos circumdantem non iam posse ab hominibus defendi, quia homo ipse ille est, qui mundum inquinat. Fortasse poterit aliquando meliorem animum attendere, ut mundum minus inquinet, sed autoraedae omittere numquam poterit, et autoraedae sunt illae res, quae maxime mundum nostrum, terram et aërem, inquinant. Quae cum ita sint, ego non habeo responsum ad quaestiones meas, et ob eam causam nunc taceo.

Emanuel Bernard

(Id est ultimum scriptum, quod Emanuel Bernard anno 1995° exeunte RUMORI VARIO composuit).



gusta semita muti, ut mos et calliditas videtur esse venatorum. Namque venatores si alta voce sermocinarentur, periculum esset, ne animalia silvae fugarent.

Sinistra parte semitae dumeta densa longe lateque patebant. Tum amico consilium in mentem venit, et a me petivit, ut longo intervallo secederem ab se et post dumeta longo circuitu iter facerem ibique ululatum magnum tollerem, ita ut ferae, si quae ibi essent, excitatae per dumeta fugerent et amico meo occurrerent. Isto dolo adhibito sperabat se occasionem habiturum bestiae alicuius, gratissimum cervi transfigendi plumbo. Oboedivi nimirum amico, quippe qui esset venator peritissimus, ego contra venationis plane imperitus. Et abii procul post dumeta mille fere passus procedens, ibique ululare coepi. Cum autem aliquamdiu solus per loca in via ambulares neque iam scirem, ubi amicus esset, repente angor animum meum occupavit dubitantem, num amicus forsitan per errorem bestiam sibi occurrere putans plumbum per dumeta in meam directionem missurus esset. Quo pavore captus clamorem sustuli et amicum vocavi orans, ut me appropinquante prudenter a plumbo mittendo abstineret. Sine mora amici vocem audivi me exhortantem, ut celerrime ad se reverterer. Metu liberatus me ad eum contuli et paulo post iterum in semita placidi iter fecimus, amico fatente se errorem commisisse, quod a me petivisset, ut procul post dumeta abirem.

Alio die autumnali ad marginem alicuius silvae sedebamus spectantes super pratum et agros, qui late patebant, cum amicus: "Attentus et mutus sis", inquit, "et exspecta! Namque nunc imitaturus sum sonum merulae sibilantis, et paulo post videbimus leporem aliquem e silva prodeuntem." Ego interrogavi: "Quomodo praescire potes leporem provenitum?" Amicus respondit parva voce: "Quod lepus nimirum sono merulae allectus erit." - "Incredibile dictu", dixi subridens. Et amicus: "Non incredibile, sed certum est. Paululum exspecta, et videbis!" Et coepit sonum merulae sibilantis imitari, dum ego tranquillus iuxta sedeo. Re vera paulo post lepus e silva apparuit auribus arrectis et pedetemptim timideque agro appropinquavit. Amicus magno vultu me aspexit et triumphanter subrisit, ironice quaerens: "Videsne? Nonne recte praedixi?" At ego, qui mihi persuadere nequirem amicum sonum merulae imitando leporem allexisse, eum interrogare ausus sum: "Amice mi, nonne potuit fieri, ut lepus e silva proveniret, etiamsi tu merulae sonum imitatus non esses? Ego quidem cohaerentiam inter ea duo facta intellego nullam. Mihi potius est verisimile leporem casu apparuisse." Tum autem amicus:

"Incredulus", inquit, "es ut erat quondam Thomas ille, quem memorat Novum Testamentum." Non dubito, quin amicus illo die incredulitatem meam plus minus moleste tulerit. Nam numquam iam postea me invitavit, ut ad venandum se comitarer.

Alio die Ruperto sodali nostro mihique dixit se postero die profecturum ad salmos lacustres (Forelle) capiendos et perendino die (übermorgen) nos, si placeret, posse venire domum suam salmones comesum. Placuit nobis, et perendino die Rupertus egoque ad domum amici nostri nos contulimus. Ibi deinde fruebamur cena exquisita et copiosa, quippe quae ex decem fere salmonibus magnis constaret. Tum Rupertus, qui suspiciosior esset, de improvviso amicum interrogans: "Tu, felix et probe piscator", inquit, "ubinam tot salmones magnos capere tibi contigit?" Et amicus, tam necopinanter interrogatus paululum erubescens callideque subridens respondit: "Ruperte mi! Bene interrogasti. Callidior es quam te iudicaveram esse. Heri quidem piscatum profectus eram, sed piscem cepi nullum. Itaque tabernam, ubi pisces venum dant, adii emptum. Hi pisces, quos bene vobis sapere confido, orti sunt omnes ab illa taberna. Cenate libenter!"

Emanuel Bernard

De mundo nos circumdante nobis defendendo atque tuendo

(RUMOR VARIUS 5+6/95)

Mundus, qui nos circumdat, non est mundus, sed immundus et sordidus. Etenim homines quoque pars sunt mundi, neque pars munda, sed imunda et sordida, neque taceo partem sordidam, quam homines nobis hominibus ipsis in conspectum dant; plane differret mundus, si homines deessent.

In scriptura sancta legimus terram esse lacrimarum vallem. Praeterea sunt, qui dicant in terra sine hominibus fletum non esse. Quod non credo: etenim iam canem vidi tam tristi facie et oculis paene flentibus, ut mihi clare appareret etiam bestias tristitiam vitae sentire posse. Iisdem de causis puto terram vitamque quiddam esse, quod non esse melius esset.

Nunc autem quaestio mea est, quo modo mundus, qui nos circumdat, defendi possit ab immunditiis, quas homo terrae nostrae affert. Respon-

regionis sorbentes, ita ut postea multa iam nocte per silvam perobscuram usque ad autoraedam meantes viam vix cerneremus.

Hodie retro spectanti in illam peregrinationem ad Pontum Euxinum peractam videor mihi iucundas ferias degisse in populo amabili. Libere excurrebamus, ambulabamus in urbem Sotzium et in loca, quae urbi circumiacent, numquam custoditi ab eis, quibus securitatis cura delata est. Vita cotidiana illorum hominum a nostra sane differt. Una ex parte mihi visa est tristior, alia ex parte homines indigenae paucis rebus contentiores mihi sunt visi quam nos bonaque externa minus petentes, plus animi quam corporis voluptates anhelantes. Quae sententia et opinio mea vobis certo mira videbitur, postquam me illis diebus vino ceterisque bonis externis valde deditum fuisse sum confessus.

Emanuel Bernard

In memoriam Guarneri amici

(RUMOR VARIUS 1/90)

Hodie nescio cur in mentem mihi venerit amicus ille, qui multis iam annis ante pisces capiens mortem obiit in lacu, qui nostro sermone 'Walensee' vocatur. Saepe ad illum lacum ierat pisces captum, at illo die profectus est illuc necopinans se ultimum istam viam capere. Multos, immo vero innumerabiles pisces in illo lacu ceperat. Postremo autem ipse est esca factus piscium illius lacus, quos nimirum ceperat nondum. Namque illo infausto die in ripa sedens animoque sereno harundinem super aquam porrigens nausea forsitan subita affectus et in aquam cadens mortuus est. Amicus ille, de quo narro, fervidus erat et piscator et venator. Quadraginta annis ante in universitate Turicensi incubuerat in studium theologiae et factus est confessionis evangelicae sacerdos. Postea autem, fiducia muneris sacerdotis amissa pisces capere vel plumbo cervos transfigere maluit quam animos hominum piorum parare ad vitam aeternam.

Interdum me invitaverat, ut secum per silvas ambularem, sive quod vitam silvestrem me docere cuperet, sive ut sodalem aliquem haberet, qui peram suam portaret, sive quod utraque causa eum commovisset.

Aliquando me oravit, ut se comitarer in silvam magnam, quae procul ab urbe Turico patet. Prima luce profecti sumus et una hora et dimidia post penetravimus illam silvam. Primo ambulabamus in longa, sinuosa et an-

Novorum discipulorum captatores

Omnes cum timeant loco magistri
ne sueto moveantur ob minutum
pusorum numerum, scholas priores (1)
visunt, discipulos novos petentes.
Certatim illecebras ibi pudendas
instantes adhibent pudore nullo.
Cursum (2) perfacilem suis alumnis
promittunt fore nec quidem molestum.
lactant hebdomadas leves agendas
in pagis niveo obrutis tapeti.
Fingunt aëriis iter vehiclis,
oras quo peragrent remotiores.
Natandi studium favore sese
complecti simulant vafra loquela.
Rivales cumulant probris nefandis,
obtreçant aliis truces lyceis.
Tamquam si studeant modo institorum
magno vendere mercem adulteratam,
veris non dubitant iugare falsa.
Suadendi ratione cum fere omnes
utantur simili, nihil lucrari,
heu, plerumque valent homunciones
indigni officio scholasticorum.
Hoc unum efficiunt, ut augeatur
contemptus popularis ac renutus.

(Hendecasyllabi)

1) id est, inferioris ordinis.

2) ut par est, cursus studiorum translate hic significatur.

Orestes Carbonero

Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA **IDIBUS SEPTEMBRIBUS** EST! SOLVTIONES IN VNO LIBELLORVM SEQVENTIVM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
 secundum et tertium praemium LIBELLVS

ad libram

- 1 quae duo capita habent
- 9 is, qui alterum oculum amisit (Dat.sg.)
- 10 1000 (Latine)
- 11 hoc modo caput Italiae Theodisce nominatur
- 12 Titus (breviter)
- 13 ...a: illa bestia, quae Remum Romulumque nutrit
- 14 urbs antiqua Siciliae (Dat.)
- 17 ramos in terra posuisti
- 19 51 (Latine)
- 20 ... dicendi apud Romanos maxime valebat
- 21 sed
- 22 dea Aegyptia (Abl.)
- 24 pars corporis ad basia danda et accipienda apta
- 25 modo arcus inflexo (Dat.sg.)
- 27 pronomen demonstrativum (Nom.sg.f.)

- 28 rex Aegyptius (Abl.)
- 29 invise (Voc.)

ad perpendiculum

- 1 urbs antiqua in ripa Garumnae fluminis sita
- 2 sine ornamentis (Nom.sg.n.)
- 3 socius
- 4 99 (Latine)
- 5 credidisti
- 6 49 (Latine)
- 7 urbs in Aquitania sita
- 8 urbs Graeca Locridis (Gen.)
- 15 a filiabus suis Medeae iussu dissecatus est
- 16 nisi
- 18 incolae urbis a Graecis per decem annos oppugnatae
- 23 filia Inachi regis ab Iove amata
- 26 aquam pervade!

Barbara Maier

1	2	3	4	5	6	7		8
9								10
11				12		13		
14			15		16			
17							18	
			19			20		
21			22		23		24	
25		26					27	
28						29		

C. Plinius Secundus de elephantis narrat



C. Plinius Secundus, vir doctissimus, in opere suo titulado 'Naturalis historia' de elephantis narrat. Dicit fere haec: Elefantus proximus homini sensibus atque ingenio est. Intellegit sermonem patrium et imperiis oboedit. Officiorum, quae didicit, meminit. Inest ei gloriae voluptas.

Prudentia, probitate, aequitate excellit. Aliquando Bocchus, Mauretaniae rex, triginta elephantis totidem elephantos, quos punire volebat, stipitibus alligatos obiecit. Sed elephantum liberi crudeli ministerio non functi sunt. Nam clementiam in minus validos habent. Non nocent nisi lacessiti. Fessos vulneratosque in acie recipiunt. Romae postea in munere gladiatorio saltabant. Consuescebant per auras arma iacere et inter se gladiatoria certamina edere

Elephantum iuvenes ex dentium candore intelleguntur. Maxime colunt hos dentes, qui cornua appellantur. Dentibus ingens pretium est et simulacra deorum hac materia saepe extruuntur.

Truncos arborum libenter edunt. Palmas excelsas fronte prosternunt, tum fructus absumunt. Constat animalia illa mures maxime odisse. Pabulum a muribus attactum fastidiunt neque accipiunt.

Barbara Maier

De infantibus imperatoris

Raro Romani de infantibus scribunt. Nuper epistolam M. Cornelii Frontonis legi. Magister artis dicendi egregius secundo p. Chr. n. saeculo vitam egit:

"Domino meo Antonino Augusto Fronto.

Vidi pullulos tuos (1) tam simili facie tibi, ut nihil sit hoc simili similius. Sunt autem dis iuvantibus colore satis salubri, clamore forti. Panem alter tenebat bene candidum, ut puer regius. Alter autem cibarium, plane ut a patre philosopho prognatus. Deos quaeso sit salvus sator, salva sint sata, salva seges sit, quae tam similes procreat. Nam etiam voculas quoque eorum audivi tam dulces, tam venustas, ut orationis tuae lepidum illum et liquidum sonum nescio quo pacto in utriusque pupulo agnoscerem. Iam tu, igitur, nisi caves, superbiorum aliquanto me experire: habeo enim, quos pro te non oculis modo amem, sed etiam auribus.

(Secundum Frontem)

1) Alter Commodus imperator erit, alter quattuor annos natus vita excedet...

Barbara Maier

De Catto nigro

(Fabella Edgarii Allani Poe in Latinum conversa)

Pars altera

Firmior sum quam ut quaeram sequentiam causae et effectus inter calamitatem et atrocitatem. Sed expono seriem factorum - neque ullum velim omittere indicium. Die post incendium ruinas visi. Parietes uno excepto corruerant. Exceptus erat paries intergerivus non ita crassus media in parte situs, adversus quem fuerat caput lecti mei. Opus tectorium ibi magnam partem igni restiterat - putavi hoc factum esse, quia paulo ante recens harenatum esset inductum.

Circa hunc parietem densa multitudo hominum confluerat multique homines visi sunt perquirere specialem partem huius parietis magna cum attentione. Verbis "*Mirum!*", "*Singulare!*" et aliis locutionibus huiusmodi curiositas mea est excitata. Cum appropinquarem, vidi figuram catti gigantei albae superficiei quasi per prostypon incisam. Lineae extremae ductae erant cum diligentia vere mirabili. Collo animalis restis circumdatus erat.

Cum primum hoc phantasma vidissem - vix aliud hoc esse putare potui - tam stupefactus eram quam territus. Sed denique adiutus sum cogitatione. Recordatus sum cattum suspensum esse in horto domui adiacenti. Propter tumultum igniarium hic hortus statim completus erat turba - tum cattum ab uno ex hominibus de arbore abscisum et per fenestram apertam in conclave meum proiectum esse certum erat. Verisimile autem erat hoc factum esse, ut e somno excitarer. Aliis parietibus corruentibus cattus quasi victima meae crudelitatis impressus est tectorio recenter obducto; calce eiusdem tectorii et flammis et ammonio cadaveris perfecta erat imago, quam vidi.

Satisfeci saltim rationi, nisi conscientiae; tamen terribilis res modo relata altius descendit in pectus meum. Per complures menses a phantasmate catti ipse me liberare non potui; et hoc spatio temporis revenit in mentem meam sensus dimidius, qui videbatur esse sensus paenitentiae, sed non erat. Res eo venit, ut dolorem cattum amissum et quaererem circa gurgustiola, quae frequentabam, alteram bestiam domesticam eiusdem generis et aspectus aliquatenus similis, quae in locum illius succederet.

Nocte quadam, cum sederem in cauponula mala famata, attendi ad aliquid nigrum positum in capite unius e doliis immensis rhomii aut spiritus iuniperini, quae fuerunt supellectiles principales cauponulae. Postquam continuo caput huius doli per nonnullas minutas aspexi, eo miratus sum, quod non prius perceperam rem ibidem positam. Apprehendi eandem et manu mea tetigi. Fuit autem cattus niger - valde magnus - tantus, quantum Pluto, eidem omni ex parte simillimus nisi ex una: Plutoni ne unus quidem capillus albus in quavis regione corporis fuerat; sed huic catto fuit magna, non distincta macula albi coloris, qua fere tota regio pectoralis tegetetur.

Cum cattum tetigissem, statim surrexit, magna voce fremuit, manum meam fricuit. Idem visus est gaudere a me respectus. Haec autem fuit talis creatura, qualem quaeritaram. Statim proposui cauponi, ut emerem; qui bestiam sibi neque notam neque umquam visam non vindicavit.

Perrexi palpare et, cum domum iturus essem, animal inclinatum erat ad me comitandum. Permissi, ut hoc faceret; hic illic sistens et illud palpans processit. Cum domum advenisset, sua sponte domui assuetus statim factus est deliciolum uxoris meae.

Ego ipse mox sensi in animo meo oriri catti aversionem. Hoc fuit contrarium ac exspectaveram. Sed nescio quomodo aut quare factum sit - taeduit me manifestae caritatis catti erga me. Paulatim et gradatim hi sensus taedii et molestiae exaucti sunt ad odium acerbissimum. Vitabam creaturam; quodam sensu pudoris et memoria prioris facinoris cruenti impeditus sum, ne corpus catti vexarem. Per nonnullas septimanas eundem non verberavi neque alio modo ei vim attuli, sed gradatim - paulatim et gradatim - coepi cattum considerare nefando cum taedio eundemque silenter fugere quasi halitum pestilentiae.

Procul dubio odium meum bestiae eo exauctum est, quod mane, postquam mecum domum tuli, animadverti eum sicut Plutonem altero oculi privatum esse. Qua re cattus carus factus est uxori meae, quae, ut iam dixi, eximie praedita erat eo sensu humanitatis, qui antea etiam insitus erat moribus meis et quo pure et simpliciter delectatus eram.

Quo aversior ego eram a catto, eo magis idem mihi studere videbatur. Sequebatur vestigia me tanta cum pertinacia, quanta difficilis sit explicatu lectoribus meis. Quandocumque consederam, cattus volebat subsidere sub sellam meam aut prosilire ad genua mea me quasi superfundens taediosis suis blandimentis. Cum surrexeram ambulatum, cattus studebat inter pedes meos venire et paene me humum prosternebat aut unguis

suos longos acutosque vestimento meo impingens enitebatur ad pectus meum. Tum, cum desiderarem cattum conficere, adhuc inhibitus sum, ne sic facerem, partim memoria prioris sceleris, sed praesertim - sine me hoc confiteri - timore bestiae absoluto.

Qui timor non erat timor vulneris corporalis - et tamen nescio quomodo nisi tali timorem definiam. Plurimum pudet me concedere - ita, ipsa in hac cella carceris, plurimum pudet me concedere - terrorem atque horrorem, quibus ab animali perfusus sim, auctos esse uno e falsis inanibusque portentis, quae animo fingi possint. Uxor mea plus semel me attentum fecit ad formam notae alborum capillorum, de qua dixi et quae fuit unica differentia visibilis inter miram hanc bestiam et illam, quam destruxeram.

Lector recordabitur hanc notam, quamvis magnam, originaliter valde indistinctam fuisse. Sed - lentis gradibus - gradibus fere imperceptibilibus, quos ut ficticios reicere ratio mea per longum tempus conata est - lineamenta huius notae subtiliter distinguebantur. Qua nota nunc res reddita est, quam horreo, quin dicam - et propter eandem, magis aliis, taeduit me et timui et a monstro me liberassem - si quidem ausus essem - fuit autem, inquam, imago rei funestae - formidulosae - fuit imago GABALI! - Oh, triste instrumentum terribile horroris et sceleris - agoniae et mortis!

Et nunc revera miserimus fui, supra omnem miseriam humanam. En me - hominem ad imaginem Dei Supremi factum - a bestia bruta, cuius affinem contemptim destruxeram, tantis tormentis affici! Vae mihi! Neque die neque nocte unquam fruebar beneficio tranquillitatis! Tempore diurno creatura numquam me relinquebat; tempore autem nocturno omni hora excitabar e somniis timoris nefandi, sentiens fevidum spiritum istius rei supra faciem meam sitae, eiusque pondus vastum - incarnati incubi, quem decutere non valebam, in aeternum cordi meo incumbentem!

Cum talibus tormentis supprimerer, evanuit pauxillulum boni, quod in me restiterat. Unicae sociae mihi factae sunt malae cogitationes - funestae et pessimae cogitationes. Morositas mea solita exaucta est usque ad odium omnium rerum omniumque hominum, cum uxor mea - heus - haud lamentans plerumque patientissime pateretur indomabilem furorem meum subito frequenterque exortum, cui me ipsum temere dederam.

Die quodam uxor mea me comitata est propter aliquam rem domesticam in hypogeum veteris aedificii, quod inhabitare paupertate nostra coacti eramus. Cattus me secutus est per gradus scalarum altos et me paene supplantatum ad insaniam irritavit. Securi aliqua sublata timoris puerilis,


quo usque eo manus mea inhibita esset, oblitus, ira incensus animali plagam infixi, quae - scilicet - catto statim fatalis fuisset, si ictus esset. Sed haec plaga cohibita est manu uxoris meae. Cum eadem sic se interposuisset, ego ad iram maiorem quam daemoniacam incitatus bracchio meo ex eiusdem amplexu evulso securim cerebro uxoris impegit. Quae statim cecidit nullo gemitu edito.

Nicolaus Gross
Germanus Coreanensis

(Narrationis pars tertia in proximo libello sequetur!)

SOLUTIONES AENIGMATUM 'ALEA IACTA'

(Libellus 2/98)



$\alpha = \text{MMDCCLXXX} \quad (=2880)$
 $\beta = \text{MMMXXVII} \quad (=3517)$
 $\gamma = \text{MCCCLXXXI} \quad (=1381)$

$$2(1381) + 3517 + \frac{2880}{4} + 1$$

$$= 2762 + 3517 + 720 + 1$$

$$= 7000$$

Prasitus respondit: "septem milia"

Stella GITTA

Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Hier bitte frankieren

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Rosenweg 7
8353 Elgg

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

RVMOR VARIVS
c/o D. Weissmann
Tellstrasse 30
3014 Bern

PP/Journal

4702 Oensingen


3/98

IDIBVS AVGVSTIS

MCMXCVIII

1									
2									
3									
4									
5									
6									
7									
8									
9									
10									
11									
12									
13									
14									
15									
16									
17									
18									
19									
20									
21									
22									
23									
24									
25									
26									
27									
28									

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:



TOMVS 21

FASC. 124